



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google


El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



3630 (22) 33  
Q. D. B. V.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE

4<sup>o</sup> Diss. 3630/22  
**FINE  
ACTIONUM HUMANARUM  
ULTIMO**

QUAM  
INDULTU AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS  
IN REGIA ACADEMIA GRYPHICA  
DIE VIII. MAJI ANNI MDCCLXXXVIII.  
PUBLICO SUBJICIENT EXAMINI  
**FRIDER. CHRISTOPH. WALDENSTRÖM**

A. LL. ET PHILOSOPH. MAGISTER.

ET  
RESPONDENS  
**CAROLUS WALDENSTRÖM**

VERMELANDIA SVECUS  
PRÆSIDIS FRATER.  
H. A. M. C.

---

GRYPHISWALDIÆ  
TYPIS HIERONYMI JOH. STRUCKII.

CC

ALBA  
AUGUSTI  
M

**Sacrae Regiae Majestatis**  
**Regniq[ue] Svethici**

*Summae Fidei Viro ac Senatori*

*Illustrissimo Libero Baroni*  
*& Domino,*

**DNO. CAROLO EHRENPREUS,**

*Collegii ad interpretandas Leges Patrias Delegati*

*Praefidi, - Domino & Equiti Azzato, atque*

*Regiorum Ordinum Praefecto.*


ALBA  
AUGUSTI  
M

ALBA  
AUGUSTI  
M

ALBA  
AUGUSTI  
M







## PRÆFAMEN.




Omnes illi, qui aliquo rerum Divinarum, & quæ illis innixa est, veræ suæ felicitatis sensu adficiuntur, pleno fatentur ore, argumento de fine actionum humanarum ultimo, quippe qui recte constituitur in illustratione gloriæ Divinæ, nullum esse præstantius, nullum utilius, nullum dignius. Cum enim id solum sit, quod hominem veræ beatitudinis atque summi ejus boni participem reddere queat; nemo facile contenderit, ullam ipsi majoris ponderis superesse obligationem, quam hoc excolere, hoc ab exceptionibus vindicare, inque hoc certa probationis via demonstrando omnes ingenii ac rationis nervos intendere. Hinc, non est, quod miremur, multos, inque omni re literaria admodum spectatos viros in hoc perpoliendo omnem movisse lapidem; quos tamen in diversas abire partes deprehendimus, dum alii finem actionum hominis moralium ultimum ponunt in perfectione sui aliorumque, ut illustri WOLFIIUS in Ph. sua Pr. univers. P. II. §. 28.; alii in illustratione gloriæ Divinæ, s. quod idem est, in religione, ut Celebert. BAUMGARTEN in Ethica sua Phil. §. 76.

A

coll.

coll. §. 102.; ut veterum Philosophorum sententias sicco, quod ajunt, pede præteream, quas videre licet ex Ciceronis libris de finibus bonorum & malorum. Quo igitur viva sit veritatis cognitio, ne inanibus litigiis ac indecoris altercationibus mutua dissidia ac odia foveantur, nec, quam profitemur, doctrina exemplo contrario in contemptum ac suspicionem adducatur: haud forsân pœnitebit ostendere, quisnam sit verus finis actionum humanarum ultimus, quomodoque hac in re Perillustres atque Acutissimi Viri possint conciliari. Huc tendere scias, B. L., innoxios meos conatus, dum materiam dissertatiunculæ elegi, quam frontispicium exhibet. Equidem satis prævideo, operam hanc satis fore arduam atque difficilem; verumtamen simul animadverto, totam hanc controversiam esse tantummodo logomachiam, omnemque confusionem oriri præcipue, ex neglecta distinctione inter finem ultimum simpliciter & secundum quid talem, & deinde, ex non satis pensitatis ipsa notione finis ultimi, & inde pendentibus requisitis ejusdem. Temporis angustia, qua circumclusus sum, minime mihi permittit hac in re esse multo, quod neque opus esse, opinor, cum mihi hac vice non constitutum sit, aliquem speciatim atro notare calculo, sed solum in genere ostendere fundamentum confusionis, quodque aliquo modo hac in re possint conciliari Viri Doctissimi. Quod si vel tantillum opella hæc illustrationi gloriæ Dei inserviat, Tuamque, B. L., mitem experiar censuram, me omne, quod labore hoc intendi, consecutum esse existimabo.

§. I. Homo



§. I.

**H**omo est ens, constans corpore organico & anima rationali, inter se unitis. Actiones itaque, quæ ab homine eduntur, sunt vel animæ, vel corporis, vel utriusque. Has omnes, aut est in potestate hominis positum, per libertatem determinare, aut minus. Illæ vocantur *liberæ* s. *morales*, hæc vero *necessariæ* s. *naturales*. Omnes ergo hominis actiones sunt vel naturales vel morales. Hæc iterum, aut ponunt perfectiones, aut imperfectiones. Si prius; salutantur bonæ. Sin vero posterius; *actionum malarum* nomine insigniuntur. Omnes hinc actiones hominis morales sunt vel bonæ vel malæ.

*Schol. I.* Notum non videt actiones liberæ & morales a me heic haberi pro synonymis, eandem me adsumente definitionem *æ* moralis, ac Celeberrimus BAUMGARTEN in *Metaph.* sua §. 723. *morale* dicens, cum libertate propius connexum. Quam etiam definitionem usui loquendi apprime convenire quivis facile largietur: eo enim edocti uovimus, non aliorum entium actionibus tribuendam esse moralitatem, quam, quæ gaudent libertate. Unde, eodem magistro, facile perspicitur, illos, qui moralitatem actionum in bonitate vel pravitate earundem consistere volunt, pro notione determinata, contra regulas definiendi, adsumere in definitione ejusdem notionem indeterminatam: cum ex hac definitione etiam actionibus brutorum, quæ tamen destituuntur libertate, tribuenda esset moralitas. Etenim ex quoque sunt vel bonæ vel malæ.

*Schol. II.* Cum in sequentibus sæpe occurrat terminus perfectio: illum heic definire nobis necesse videtur, præsertim cum distincta hujus termini explicatio demonstrationibus inserviat facilitandis.

*Perfectio* itaque nihil aliud est, quam consensus realitatum ad unam, aut si mavis, consensus variorum in uno. Ex enim definitiones omnino inter se conspirant, ut pluribus demonstratum fuit Acutissimus Dn. BAUMGARTEN l. c. §. 139. - 142. Qui conferatur. Una vero realitas, ad quam ceteræ consentiunt, vocatur *ratio perfectionis deterrminans*.

*Schol. III.* Cum actionum hominis naturalium determinatio in potestate ipsius non sit posita: per se patet, directionem illarum ad finem ultimum heic in censum non venire.

## §. II.

Si quis utitur vel abutitur aliquo ad bonum sibi visum actuandum: ipsum bonum agenti visum *fnis* audit. Causæ finis, quibus uti vel abuti potest, vocantur *remedia* (media). *Finis*, cui cofines omnes subordinantur, dicitur *ultimus* (scopus). Hic aut. habet ulteriorem, aut non. Si illud; *fnis simpliciter ultimus* adpellatur. Sin vero hoc; *fnis ultimi secundum quid* nomine venit. Hinc, quid finis ultimus actionum humanarum sit, manifestum est (§. I.). Finis representatio est *intentio*.

*Schol. I.* Definitiones hæ ab exemplo haud difficili negotio eruntur. Qui enim literis operam navat, pro finibus habet emtionem librorum, scientiam ex illis hauriendam, quo aptus evadat officio quodam defungendi, & sic denique gloriam Dei eo melius illustrandi. Singula enim hæc considerat tanquam bona, ad quorum actuationem omnem adhibet diligentiam. Jam vero libros coemere non potest, nisi antea sibi adquisiverit nummos, neque scientia animum imbuere, nisi habeat libros, nec munere quodam rite defungi, nisi animus ejus scientia fuerit imbutus, nec gloriam denique Divinam ita, ac tenetur, illustrare, nisi munere quodam fungatur. Adquisitio ergo nummorum, librorum emtio, scientia, qua animus imbuendus, & aptitudo officio quodam defungerdi sunt causæ illustrationis gloriæ Divinæ, tanquam finis, hinc quoque remedia. Cum tamen huic omnes cofines ejus subordinentur; merito;



rito quoque ab eo habetur pro fine ultimo, & quidem simpliciter tali, cum hic supponatur non habere ulteriorem. Seposito vero hoc fine, aptitudo officio quodam defungendi, quæ antea erat finis subordinatus, evadit ultimus, sed non nisi secundum quæd talis, cum ad ulteriorem possit referri. Quando vero singulos hosce fines sibi repræsentat, dicitur eos intendere. Unde simul patet, id, quod uno respectu est finis subordinatus, posse alio esse finem ultimum, & unam eandemque rem esse posse & finem, & remedium, diverso tamen intuitu; quod semper obtinet in subordinatione finium, ut in exemplo nostro manifestum est.

*Schol. II.* Neque recedimus in definitione finis allata a recepto vocis significatu. Illustr. enim WOLFIIUS in Ontologia sua Lat. §. 932. finem dicit id, cujus gratia causa efficiens operatur. Quis vero negaverit, id, propter quod causa efficiens agit, ipsi videri bonum, præsertim cum natura animæ nostræ ita sit comparata, ut nihil appetat, nisi bonum: Omnino itaque conveniunt hæ duæ definitiones, nisi quod nostræ, quam Celeberr. debemus BAUMGARTEN, ut & plurimas alias, magis sit determinata, quam allata WOLFII. Cum itaque nostræ cum III. WOLFII definitione convenientiam probaverimus: tanto minus nobis metuendum, ne reliquis Philosophis contrariemur, quanto certius constat, hos illius vestigia in hoc negotio premere. Receptum itaque vocum significatum non statim mutant, quotquot consuetas definitiones quacunque ratione mutare audeant; sed tantum videntur.

### §. III.

*Omnium actionum hominis moralium motiva ex fine earundem ultimo poterunt desumi.* Fini enim actionum hominis moralium ultimo omnes ejus reliquæ actiones subordinantur (§. II.). Cuicunque vero fini omnes actiones subordinantur, propter illum etiam eadem sunt intendendæ (§. cit.). Ob quemcunque finem omnes actiones sunt intendendæ, ex eo etiam earundem rationes intentionis sunt desumendæ. Ex quocunque fine rationes intentionis omnium

actionum sunt desumenda; ex illo quoque earundem causæ impulsivæ poterunt desumi (p. def. causæ impuls.). Quicumque finis ita est comparatus, ex illo omnium actionum motiva poterunt desumi (p. def. mot.): Omnium itaque actionum hominis moralium motiva ex fine earundem ultimo poterunt desumi.

Manifesta hinc est actionum hominis moralium subordinatio ad finem earundem ultimum requisita (§. II.). Exemplum, quod paullo ante dedi, etiam huic propositioni omnem, quæ desiderari potest, adfundit lucem. Qui enim librorum coëmendorum gratia nummos adquirere studet; librorum emtionem considerat tanquam motivum, cujus gratia omnem in nummis acquirendis movet lapidem. Dum libros coëmit, ut scientiam inde hauriat; hanc instar motivi habet, cur libros coëmere studeat. Et quoniam nummos acquirit, quo libros, ex quibus scientiam hauriat, coëmat; scientia, qua animum imbuere cupit, est quoque motivum diligentiz in nummis acquirendis adhibita. Dum scientia animam imbuat, quo aptior evadat, qui munere quodam defungatur, hanc pro motivo habet & scientiz ex libris haurienda, & emtionis librorum, nec non acquisitionis nummorum. Cum denique munere quodam defungi desideret, ut eo melius gloriam Dei illustret; ex modo dictis manifestum est, illustrationem gloriæ Divinæ esse & motivum aptitudinis officio quodam defungendi, & scientiz, qua animus imbuitur, & emtionis librorum, & tandem diligentiz in nummis acquirendis adhibita. Quoniam itaque hic finis supponitur esse ultimus: ex fine ultimo omnium actionum motiva sunt desumenda.

### §. IIII.

*Positis actionibus bonis, ponuntur realitates: positis vero malis, ponuntur negotiones.* Etenim positis actionibus bonis, ponuntur perfectiones; positis autem malis, ponuntur imperfectiones (§. I.). Quamobrem, cum posita perfectione, ponatur realitas (Schol. II. §. cit.), & posita imperfectione,

fectione, vi oppositi, ponatur negatio: positis actionibus bonis ponuntur realitates; positis vero malis, ponuntur negationes.

Propositio præfens continetur per modum axiomatis in definitionibus actionis bonæ & malæ (§. 1.), nec non perfectionis (Schol. 2. §. cit.) & imperfectionis: distincte tamen enuncianda fuit, quod eadem utamur in sequentibus tanquam principio demonstrandi. Ceterum experientiæ apprime est conformis, id quod per exempla eunti sole meridiano clarius evadit. Qui enim furtum e gr. committit, damnum infert domino, cui res suæ surripiuntur, hinc quoque edit actionem malam, quæ varias pro consecrariis habet negationes, dum non tantum obligatur ad restituendam rem ablatam; sed etiam reus sit pœnæ eamque, ubi deprehensus fuerit, pœnam subire cogitur, quam lex in furem decernit. Contra vero, si quis non solum abstinet a furto; sed etiam suum cuique tribuit; ab omnibus æquis reputatur pro justo, bonam habet conscientiam, est obediens legi, & id genus alia. Multæ igitur cum actione ejus bona ponuntur realitates. Similiter: si discipulus fuerit negligens, ignorantia eorum, quæ disci poterant & debebant, & sumtuum, qui in hoc fiunt, profusio ex negligentia tanquam ex actione privativa consequuntur. Variæ igitur, posita hac actione mala, ponuntur negationes. Sin vero e contrario diligens fuerit, cum actione hac bona ponuntur tanquam realitates scientia, qua animus imbuitur, aptitudo officio quodam defungendi atque illustratio gloriæ Divinæ. Hæc & similia exempla satis superque convenientiam præsentis propositionis, æque ac definitionum §. 1. & Schol. 2. §. cit. allatarum cum experientia & usu loquendi loquuntur.

### §. V.

*Necessitatio moralis dicitur obligatio.*

*Schol. I.* Ita neminem inficias iturum reor, venditorem obligatum esse ad rem venditam emtori tradendam, & emtorem vicissim ad pretium rei emtæ solvendum. Obligavit autem sibi emtor venditorem, quatenus adquisivit jus rem emtam a venditore exigendi, ex promisso venditoris; & venditor sibi obligavit emtorem, quatenus  
jus

ius sibi comparavit exigendi pretium rei emtæ, ex promisso etio-  
ris: Quod, cum lege, qua pacta esse servanda præcipitur, confirme-  
tur: id, quod antea erat contingens, mutatur in necessarium ex  
contingenti. Quamobrem, cum talis mutatio audiat *necessitatio*;  
omnis obligatio est necessitatio. Quæ tamen tantum est moralis,  
cum ex libertate eorum sit profecta (Schol. I. §. I.)

*Schol. II.* Definitio obligationis, quam dedimus, est generalis, &  
sefe extendit tam ad obligationem activam, quam passivam, ut in  
exemplo nostro evidens est. Neque a nostra abludit III. WOLFF  
in P. I. Theol. Nat. §. 973. Ubi obligationem dicit esse connexio-  
nem motivi cum actione. Ex necessitatione enim moralis intelli-  
gitur potest, cur hoc potius quis velit quam aliud, quod in se spectatum  
etiam possibile est. Necessitatio ergo moralis est ratio volendi  
vel nolendi. In connexione ex uno intelligitur cur alterum fiat.  
In connexione igitur motivi cum actione, ex motivo illo intelli-  
gitur ratio volendi vel nolendi. Ratio volendi vel nolendi dicitur  
motivum. Si igitur cum actione motivum connectatur, habemus  
necessitationem quandam moralem.

*Schol. III.* Sollicite cavendum est, ne necessitationem moralem  
cum physica & absoluta confundamus. Ista enim cum libertate non  
tantum consistere potest; sed est ejus corollarium, hæ vero non.  
Confer, si placet, Dissertationem meam de Nexurationis & liberta-  
tis humanæ, sub Præsidio Viri Excellentissimi atque Celeberrimi  
Dn. Professoris LEVIN MÖLLER habitam §. 29. 31. 34. 44.

## §. VI.

*Homo obligatur ad appetendas omnes actiones, ponentes  
realitates, ad averfandas vero omnes actiones, ponentes ne-  
gationes, quantum ipsi physice est possibile.* Moraliter enim  
necessitatur ad appetendum omne bonum, & ad averfandum  
omne malum (p. L. M.). Ergo quoque ad omnes actiones  
bonas & malas. Etimvero omnes actiones bonæ ponunt  
realitates, malæ vero negationes (§. III.). Ad appetendas  
itaque omnes actiones, ponentes realitates, & ad averfan-  
das

das omnes actiones ponentes negationes, moraliter necessitatur. Necessitatio moralis est obligatio (§. V.). Ad appetendas itaque omnes actiones, ponentes realitates, & ad averfandas omnes actiones, ponentes negationes, homo obligatur.

Cum vero nemo obligetur ad impossibilia: Obligationem hanc pro viribus solummodo homini incumbere in aprico est.

Propositio hæc facillima est intellectu, modo attenti consideraverimus, quæ ex Psychologia, tanquam satis antea nota supponuntur. Ea est enim natura atque essentia animæ nostræ, ut appetat omne, quod ut bonum cognoscit, idque ita, ut eo ipso, quo rem aliquam cognoscit ut bonam, non possit non eam appetere, & e contrario, eo momento, quo rem aliquam ut malam intuetur, non possit non eam averfari. Cum ergo oppositum ejus, quod appetit vel averfatur, sit certo respectu impossibile; nemo non videt cum omnibus appetitionibus & averfationibus animæ nostræ semper necessitatem quandam esse conjunctam, quam, distinctionis gratia, necessitatem appellare solemus moralem, & multis distat parasangis a necessitate absoluta & physica, ut antea monui Schol. III. §. V. Hinc quoque non est, quod excipias, necessitatem hanc libertati minari ruinam, cum tantum efficiat, ne actiones nostræ morales omni destituantur ratione sufficiente. Cfr. sis, citatam disertat. meam de Nexu rationis & libertatis humanæ §. 44. Ceterum hæc prolixius ostenduntur in Psychologia, ubi eorum propria est sedes, & nemini, nisi imperitionibus, ignota esse possunt, quorum gratia hæc addidi.

## §. VII.

*Quo majores itaque & plures per actionem hominis moralem ponuntur realitates, eo magis ad illam obligatur; donec maxime, ubi plurimæ, maximæ, quæ in hominem cadunt, per actionem ejus ponuntur realitates (§. VI.).*

B

## §. VIII.

## §. VIII.

*Homo ad finem actionum suarum moralium ultimum magis obligatur, quam ad earundem cofines.* Etenim finis actionum hominis moralium ultimus est majus bonum, quam earundem cofines (§. II.). In homine ergo majores & plures ponit realitates (§. III.). Hinc quoque ad illum magis obligatur, quam ad cofines (§. VII.).

Ad hoc requisitum finis ultimi vulgo non attenditur, quod tamen, meo saltem ex judicio omne ferre videtur punctum in controversia, quisnam sit verus finis actionum humanarum ultimus? Si enim evictum fuerit, præter illustrationem gloriæ Divinæ, officia hominis erga se ipsum & erga alia non dari plures fines actionum hominis moralium, ut infra a nobis fiet (§. XXIII.) Sane ope hujus propositionis per se sequitur, illustrationem gloriæ Divinæ esse necessario finem ultimum. Adeoque neminem effugere non potest, confusionem hac in re, magnam qua partem, ortam esse ex non satis pensitatis omnibus finis ultimi requisitis, ut in præfamine monui. Ceterum, neminem fore, existimaverim, qui veritatem hujus propositionis in dubium vocaverit, cum principiis nitatur certis & indubitatis, ut a priori hæc a nobis est demonstrata. Unicum, quantum perspicio, quod aliquem offendere posset, est, quod dixerim, finem ultimum esse majus bonum, quam cofines; hujus vero veritas a posteriori per exemplum sit manifestissima. Si enim bonitas actionis, prouti debet, æstimatur ex multitudine realitatum s. perfectionum, quas illa ipsa actio bona ponit, & deinde assumamus exemplum, quod Schol. 1. §. 2. dedi; quod scilicet fines studiosi sunt emtio librorum, scientia ex illis haurienda, & aptitudo officio quodam defungendi; nemo secum habitans contenderit, aptitudinem officio quodam defungendi, tanquam finem ultimum, non esse majus bonum, quam emtio librorum & scientia ex illis haurienda, tanquam cofines; ista enim non tantum in, sed etiam extra ipsum, plures & majores ponit realitates, ac hæc. Pari ratione se res habet, si adsumamus scientiam ex libris hauriendam pro sine ultimo, hanc enim esse majus bonum, quam emtionem librorum, tanquam cofinem,



nem, a nemine tam facile negabitur, nisi in ruborem dari velit. Res est manifestissima, ut non indigeat ulteriore explicatione.

§. VIII.

Cum finis actionum hominis moralium simpliciter ultimus non habeat ulteriorem (§. II.): est quoque summum hominis bonum (§. cit. & §. I.) Hinc quoque plurimas, maximas in illo ponit realitates (§. III.). Adeoque ad illum homo maxime obligatur (§. VII.).

Quæ ad sphaeram præced. monui, etiam, mutatis mutandis, hic valent.

§. X.

Homo ad omne bonum actiones suas morales dirigere tenetur tanquam ad finem. Obligatur enim ad appetendum omne bonum (§. VI.) Hinc quoque illud ut bonum considerare. Bonum agenti visum dicitur finis (§. II.). Patet itaque adferti veritas.

§. XI.

*Deus est ens perfectissimum.*

Varias Philosophi definitiones Dei reddiderunt, dum alii eum per ens a se, alii per ens infinitum, alii iterum aliter; quæ tamen omnes definitiones amice inter se conspirant. Unaquæque enim perfectio Dei interna est conceptus de Deo primus, hinc quoque sub hac hypothese pro essentia Dei haberi potest. Cum vero ex una perfectione Dei facilius reliquæ ejus perfectiones cognoscantur, quam ex alia: præstat eam pro essentia sumere, ex qua facilius reliquas deducere speramus.

§. XII.

Agnitio perfectionis majoris in aliquo, cujus ipse est causa, dicitur honor. Honor major est gloria. Gloria itaque Dei est major agnitio summarum ejus perfectionum

(§. XI.) Hinc, quid gloria Dei summa sit, palam est. Bona spiritus determinatio ex motivis gloriæ Divinæ *illustratio gloriæ Divinæ* salutatur. *Illustratio* hinc *gloriæ Dei summa* est. bona spiritus determinatio ex motivis gloriæ Dei *summæ*.

*Schol. I.* Si omnis agnitio perfectionis majoris in aliquo, sine ulteriore adjecta determinatione esset honor, prouti eum multi definitum eunt; nihil ob stare video, quo minus tum etiam rebus inanimatis v. gr. imagini tribueretur honor, aperte reclamante communi loquendi usu. Hinc quoque definitio illa foret latior suo definito. Cum vero nulla res mortua ipse sit causa perfectionum in se deprehensarum majorum: crediderim, me, per determinationem adjectam, ita definitionem honoris condidisse, at neque sit latior, neque angustior suo definito.

*Schol. II.* Quod ego illustrationem gloriæ Divinæ dixi, alii appellant cultum Divinum, si enim termini a multis habentur pro synonymis. Vid: Celeberr. BAUMGARTEN l. c. §. 947. Si consensum urges, habes Ill. WOLFIIUM in ratione prælectionum P. II. C. IV. §. 28. Cultum Dei definientem per exercitium actionum, quarum motiva sunt perfectiones Divinæ, quem deinde secuti sunt Illust. BÜLFINGERUS, DARJESIUS, aliique, quorum ille in Dilucid. suis philos. not. §. 494. ingenue fatetur, hancce Philosophi definitionem sibi adeo arrisisse, ut propter eam in posterum philosophiam sibi Wolfianam quam maxime habuerit commendatam; ubi etiam eam explicat, usumque ejus egregium pro more solito i. e. solidissime ostendit.

§. XIII.

*Homo ad omnium actionum suarum moralium motiva ex gloria Dei desumenda obligatur, & quidem ex gloria Dei summa maxime.* Etenim homo, dum actionum suarum moralium motiva desumit, ex gloria Dei, summas ejus perfectiones cognoscit (§. XII.). Ens perfectissimum clarius, certius

tius atque ardentius nosse est actio bona (§. I.). Hinc quoque in homine ponit realitatem (§. III.). Quamobrem, cum non suscipere liceat nisi bonum (§. VI.): homo quoque omnium actionum suarum moralium motiva ex gloria Dei desumere tenetur (§. cit.). Q. E. *unum.*

Gloria Dei summa est distinctissima & ardentissima perfectionum Divinarum cognitio (§. XII.). Homo itaque, dum actionum suarum motiva ex eadem desumit, distinctissime & ardentissime Deum cognoscit. Ens perfectum distinctissime & ardentissime nosse, est summa hominis perfectio (Schol. II. §. I.). Ergo quoque summum hominis bonum (§. cit.). Hinc etiam in homine, tanquam ratione perfectionis determinante, maximas, plurimas ponit realitates (§. III.). Ad omnium itaque actionum suarum moralium motiva, ex gloria Dei summa desumenda homo maxime obligatur (§. VII.). Q. E. *alterum.*

Prius etiam sic ostendi potest: Homo servus Dei est (p. L. M.). Jam vero servus est, qui est in dominio alterius (p. def. servi.). Homo itaque servus Dei est. Enimvero dominium tribuit jus pro arbitrio disponendi de usu rei (p. def. domini.). Deo igitur competit jus pro arbitrio disponendi de usu hominis, hinc quoque de moralibus ejus actionibus. Adeoque homo actionum suarum motiva desumere obligatur ex voluntate Dei. Quamobrem, cum voluntas pertineat ad perfectiones Dei summas (§. XI.): homo quoque omnium actionum suarum motiva desumere tenetur ex perfectionibus Dei summis. Agnitio perfectionum Divinarum dicitur gloria Dei (§. XII.). Omnium ergo actionum suarum moralium motiva homo desumere tenetur ex gloria Dei.

## §. XIII.

*Ad summam itaque, quæ in hominem cadit, illustrationem gloriæ divinæ homo maxime obligatur (§. XIII. XII.)*

## §. XV.

Hinc, cum ad illustrationem gloriæ Divinæ, tanquam bonum quid, homo obligetur (§. præced.); omne vero bonum, ad quod homo obligatur, illi debeat esse finis (§. X): *Illustrationem quoque gloriæ Divinæ esse finem actionum hominis moralium dubitari nequit.*

## §. XVI.

*Officia hominis erga se ipsum sunt, quorum ratio perfectionis determinans est in se ipso ponenda realitas.*

Ex definitione patet, nos excludere ab omni officio, quod homo sibi ipse præstare tenetur, negationes, & tantum dicere realitatem in homine ipso ponendam esse rationem perfectionis determinantem in officiis hominis erga se ipsum. Prius enim si admitteretur, repugnaret §. VI. Æque ac sanæ rationi. Ceterum non exclusive intelligenda est hæc definitio, quasi nulla in aliis extra hominem per officia hominis erga se ipsum poneretur realitas, sed prout hæc vel illa ratio perfectionis determinans est propius observabilis, a potiori facta denominatione.

## §. XVII.

*Homo sibi ad officia erga se ipsum præstanda obligatur, quantum potest.* Obligatur enim ad suscipiendas omnes actiones ponentes realitates, quantum ipsi physice possibile (§. VI.). Jam vero ponunt officia hominis erga se ipsum in illo realitates (§. XVI.). Ad illa itaque sibi præstanda homo, quantum potest, tenetur.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

*Actio*num hinc hominis moralium finis sunt officia hominis erga se ipsum (§. XVII. X.).

## §. XVIII.

*Finis tamen hic actionum hominis moralium, sphaerae preced. ostensus, subordinatus est illustrationi gloriae Divinae.* Homo enim, ope hujus, obligatur ad omnes perfectiones suas appetendas, quantum potest (§. XVIII. XVI.). Perfectiones appetere non potest, nisi eas antea cognoscat (p. L. M.). Perfectiones itaque suas cognoscere tenetur. Perfectio nequit clare distincteque cognosci, nisi cognoscatur ejus ratio determinans (Schol. II. §. I.). Jam vero perfectionum per officia erga se ipsum quaerendarum est homo ipse ratio determinans (§. XVI.). Ad se ipsum itaque cognoscendum homo obligatur. Enimvero quantus, quantus homo est, opus Dei est (p. L. M.). Eo ipso igitur, quo homo semetipsum perficit, opus Dei cognoscit. Ex operibus Dei summæ ejus perfectiones elucescunt (p. L. M.). Quomobrem, cum ratio dicatur, unde intelligi potest cur aliquid sit (p. def. rat.). Perfectio sui ipsius continet in se rationem existentia finis, quo homo perfectiones Dei cognoscere tenetur. Causa finis dicitur remedium (§. II.), & quod constituitur ut medium obtinendi finem aliquem finis subordinatus (p. def. subord.). Perfectio itaque sui ipsius est finis subordinatus fini, quo homo perfectiones Dei summas agnoscere adstringitur. Agnitio perfectionum Dei majorum est gloria Dei (§. XII.). Perfectio itaque sui ipsius est finis subordinatus gloriae Dei. Gloria Dei est utilis ad illustrationem gloriae Divinae (§. cit.). Officia itaque hominis erga se ipsum sunt finis subordinatus illustrationi gloriae Divinae.

Atque

Atque hinc videre licet, quam infirmo eorum sententia stet talo, qui illustrationem gloriæ Divinæ, pro fine subordinato perfectioni sui aliorumve venditant. Esset quidem jam occasio in sententias eorum inquirendi, ad brevitas studiosus hæc omnia jam sicco, quod ajunt, pede prætereo, ad finem potius dissertatiunculæ quædam hac de re moniturus.

### §. XX.

*Officia hominis erga alia sunt, quorum ratio perfectionis determinans est extra ipsum ponenda realitas.*

Quemadmodum officia hominis erga Deum etiam summam in homine ponebant realitatem (§. XIII.). Ita etiam poterant officia erga alia ut officia erga se ipsum considerari (§. XV.). Adeoque neque hæc exclusive sunt intelligenda, quasi nullam in homine ipso, qui illa præstat, ponerent realitatem; sed prout hæc vel illa ratio perfectionis determinans est propius observabilis, a potiori facta denominatione. Neutiquam enim nego, dari in officio quodam plures rationes perfectionis determinantes: cum sapientia potius svadeat, eas omnes simul intendendas esse. Ceterum, me tacente, nemo non videt, officia erga alia tam late heic a me sumi, ut suo ambitu omnia entia finita, quibus officia debemus, complectantur.

### §. XXI.

*Ad officia erga alia præstanda homo, quantum potest, obligatur.* Tot enim ac tantas actiones, realitates extra se ponentes, homo præstare tenetur, ac potest (§. VI.). Has vero omnes constituunt officia erga alia (§. XX.). Evidens itaque est adfertum.

### §. XXII.

*Officia ergo hominis erga alia sunt finis actionum ejus moralium (§. XXI. X.).*

### §. XXIII.



## §. XXIII.

Eadem ratione, qua' superius (§. XVIII.) demonstratum est, officia hominis erga se ipsum esse finem subordinatum illustrationi gloriæ Divinæ, demonstrari hic potest, *officia hominis erga alia esse finem subordinatum illustrationi gloriæ Divinæ.* Etenim omnia illa alia, quibus homo officia debet, sunt opera Dei.

## §. XXIII.

*Præter illustrationem gloriæ Divinæ, officia hominis erga se ipsum & officia ejusdem erga alia, non possibiles sunt plures fines actionum hominis moralium ab iis diversi.* Finis enim est bonum agenti visum (§. II.). Omne bonum ponit realitatem (§. III.). Omnis ergo finis ponit realitatem. Ponamus itaque dari plures fines ab enumeratis diversos: dum illi ponerent realitates aut in mundo, aut non. Si prius, aut realitates illæ deprehenduntur in homine ipso, aut in aliis entibus finitis. Si illud; finis ille non est diversus ab officiis hominis erga se ipsum (§. XVI), ad quæ homo, tanquam ad finem, obligatur (§. XVIII.). Sin vero hoc, finis ille non est diversus ab officiis hominis erga alia (§. XX.), quæ homo pro fine respicere tenetur (§. XXII.). In mundo ergo non dantur plures actionum hominis moralium fines ab enumeratis diversi. Sin vero posterius locum habebit: non datur ens quoddam extramundanum præter Deum (p. L. M.). Finis itaque ille non est diversus ab illustratione gloriæ Divinæ (§. XII.), quam homo pro fine habere adstringitur (§. XV.): Præter illustrationem igitur gloriæ Divinæ, officia hominis erga se ipsum & erga alia, non plures possibiles sunt actionum hominis moralium fines ab iis diversi.

C

Qui

Qui exempla perpendere velit, in quocunque casu singulari adfertur veritatem facile deprehendere potest. Non quidem inficias inimus, varias singuli officii species constitui posse. Sed quoniam hæ species non sunt essentielles, neque a nobis in hoc negotio in censum venire debent.

§. XXV.

*Illustratio gloriæ Divinæ est finis actionum hominis moralium simpliciter ultimus.* Illustrationi enim gloriæ Divinæ, tanquam fini actionum hominis moralium (§. XV.) 1) omnes cofines (§. XXIII.) subordinantur, officia hominis erga se ipsum (§. XVIII.), & officia erga alia (§. XXIII.). Ex quo 2) omnium actionum motiva debent desumi (§. XIII.), & denique 3) ad quem homo maxime obligatur (§. XIII.). Est itaque finis actionum hominis moralium simpliciter ultimus (§. II. III. VIII.)

Hinc facile est judicatu, quo jure perfectio sui ipsius aliorumque habeatur pro fine actionum humanarum ultimo. \* Etsi enim quam difficillimum sit eam pro fine ultimo concedere; tamen plane impossibile est, quod sit finis simpliciter ultimus, ob requisitum (§. VIII.) finis ultimi simpliciter talis, cujus ulterior mentio fiet Schol. III. sp̄i ultimi. Multo minus vero quis sibi persuadeat, ut a nobis impetret, qui Epicuri vel aliis ejus generis album calculum adjiciamus sententiæ.

§. XXVI.

Hinc jam intelligitur: I. Cum finis ultimus simul sit unicus (p. L. M.): *Illustrationem gloriæ Divinæ esse finem actionum hominis moralium unicum* (§. XXV.). II. Cum habitus illustrationem gloriæ Divinæ constituendi unicum actionum suarum finem audiat *pia simplicitas: Hominem, dum illustrationem gloriæ Dei pro fine actionum suarum ultimo agnoscit, pie simplicem esse* (Corr. I.). III. Cum summum hominis bonum sit, quo posito, summa, quæ in hominem cadit, ponitur

nitur perfectio (§. F.), s. ad quod homo maxime obligatur (§. VII.): Illustrationem gloriæ Divinæ esse summum hominis bonum (§. XIII.).

Schol. I. Corrollaria primum & secundum etiam colligi possunt ex §. XIII. & VIII.

Schol. II. Philosophi omni tempore immensum quantum inter se distarunt, in constituendo summo hominis bono, ut olim Varro trecenta amplius seu collegerit, seu excogitaverit opinionum hæc in re divortia. Uti est apud Augustinum L. XIX. de Civitate Dei C. I. Etsi enim omnes tendant ad summam aliquam perfectionem, qua tamen in re illa sit ponenda, non magis inter eos convenit, quam inter Babelicæ turris structores. Eleganter hinc Seneca de vita beata, C. I. *Vivere omnes, inquit, beate volunt, sed ad pervidendum, quid sit quod beatam vitam efficiat, caligant.*

Schol. III. Omni sic, qua fieri potuit, brevitate, mea exposita sententia; proximum jam foret, ut etiam aliorum hac de re diversas examini subjicerem sententias. At, quoniam temporis angustia, qua circumclusus sum, me jam hæc pedem figere jubet: hæc omnia intacta relinquo. Sufficit, unumquemque, ut opinor, ex breviter adductis facile posse perspicere, totam confusionem dependere ex non satis pensatis omnibus requisitis finis ultimi, æque ac neglecta distinctione inter finem ultimum simpliciter & secundum quid talem, hinc quoque me promisso meo fecisse satis. Si enim nulla habeatur ratio requisiti (§. VIII.) a me ex ipsa notione finis ultimi deducti æque ac distinctionis in finem ultimum simpliciter & secundum quid talem (§. II.): nihil obstare video, quo minus unusquisque cofinium (§. XXIII.) reputari possit proultimo. Nemo itaque sibi persuadeat, me e diametro repugnare Illustri WOLFIO, qui in Phil. sua Pr. Univ. P. II. §. 28. adsertum it perfectionem sui aliorumque esse finem omnium actionum humanarum ultimum, cum ibidem ab illo nullius ante dictorum fiat mentio requisitorum. Mallem profecto citatum Auctorem distinctius explicasse, quid per finem ultimum intelligat, ne in logomachiam incidamus. In demonstratione quidem sphi. cit. dicit finem ultimum esse, in quem ceteri omnes resolvuntur, sed hoc non satis, ut

mibi videtur, definitionem illustrat; definire tum enim debuisset, quid sit in aliquid resolvi. Si ex contextu hanc notionem eruamus, sane deprehendimus eum per id intelligere, quod alii nominant subordinationem, etsi minus adcuratam hoc cum termino connectat notionem. In nota enim sphi saepius cit. sic verba ejus fluunt: *Vulgo dicitur finem ultimum esse gloriam Dei, huic subordinari bonum publicum, & utriusque tandem bonum privatum, atque adeo non desunt, qui arguantur, perfectionem sui aliorumque minus recte pro fine ultimo haberi. Entimvero hi non satis perpendunt, quid sit gloria Dei & quomodo actionibus humanis illustretur, nec considerant, in quonam perfectio hominis accidentalis, quae actionibus nostris promoveri potest, consistat.* Et nota sphi sequentis: *Dum perfectioni tua studes, hoc ipso aptus evadis ad gloriam Divinam manifestandam, & quatenus perfectionem tuam intime perspicias, te esse aptum ad gloriam Divinam manifestandam agnoscis, modo summam Dei perfectionem & dependentiam creaturarum ab eodem agnoscis.* Sed, ut pace Celebrissimi Auctoris dicam, inde, quod homo per perfectionem sui aptus evadat ad gloriam Divinam manifestandam, non sequitur, hanc esse finem illi subordinatum: illud enim lubens concedo, praesertim cum non contra, sed pro me pugnare videatur. Dum enim, auctore ipso fatente, homo per perfectionem sui aptus evadit gloriam Divinam illustrandam, eo ipso quoque concedit, illam esse medium hanc obtinendi (§. II.) Quamobrem, cum finis dicatur subordinatus, qui est medium obtinendi alterum (§. XVIII.); ex ipsius quoque Auctoris verbis sequitur, perfectionem sui ipsius esse finem illustrationi gloriae Divinae subordinatum, hinc quoque illam pro fine ultimo haberi non posse. Cum vero verba non interpretanda sint contra mentem auctoris, neve consequentarius agam: hanc Celebrissimi Viri sententiam sub allatis concedo circumstantiis. Longe vero aliter se res habet, si attentis allata perpendamus requisita. Tunc enim illustratio gloriae Divinae fit necessario finis actionum hominis moralium ultimus (Cfr. Schol. §. VIII.). Eritius ergo studiosi gloriae, sed Divinae.

S. D. G.

CORRIGENDA.

§. II. l. 5. *illud lege hoc.*      *ibid. l. 6. hoc lege illud.*

Nce non  
**Sacrae Regiae Majestatis**

**Regniq[ue] Suehici**

*Summae Fidei Viro ac Senatori*

*Illustriſſimo Libero Baroni*

*& Domino*

**DNO. GABRIELI de SETH,**

*Domino & Equiti Aurato, Regiorumque*

*Ordinum Praefecto*

Ut et

Sacrae Regiae Majestatis

*Magna Fidei Viri.*

Per Regnum Svedhiæ

Cancellario Justitiæ Supremo,

*Perillustri & Generosissimo Libero Baroni  
ac Domino,*

**DNO CAROLO GUSTAVO  
LOVENHIELM,**

*Regiorum Ordinum Thesaurario & Stellæ  
Polaris Equiti Aurato.*



## *Mæcenates Gratiſſimi.*

*Niſi. Quantum. Ceteris. Dignitate. Et. Splendore. Antecellit. Tantum. Quoque. VESTRA. Trepide. Accessuros. Singularis. Humanitas. Cunctis. Non. Tam. Erigeret. Quam. Inuitaret. Hunc. Profecto. Studiorum. Fœtum. Immaturum: Utpote. Et. Umbraticum. Ad. Tanta. Limina. Vel. Sero. Vel. Nunquam. Deponere. Sustinuiſſemus. Jam. Verò. Cùm. Hanc. Eandem. Nunquam. Non. Obligiffe. Sibi. Gratulentur. In. Quibus. Est. Aliqua. Non. Alieni. A. Muſis. Ingenii. Significatio. Spem. Concipere. Licet. Optimam. VOS. MÆCENATES. Indulgentiſſime. Accepturos. Si. Juveniles. Haſce. Lucubrationes. In. Solitæ. VESTRAE. Benevolentiae. Aram. Supplices. Deferre. Non. Verecundamus. Præterea. Cum. Plurima. In. Paternam. Domum. Collata. Beneficia. Submiſſione. Quantam. Eloqui. Non. Valemus. Recordamur. Ulſimam. Intempeſtiva. Vel. Temeraria. Ne. Videretur. Simplicitas. Qua. Dubias. Spes. Noſtras. Sic. Tamen. Certiſſimas. VESTRAE. Iſti. In. Omnes. In. Litterarum. Cultores. In. Parentes. Noſtros. Noſque. Indulgentiae. Exploraſſime. Commendare. Tradere. Haud. Dubitamus. Summam. Hanc. Gratiam. Pia. Mente. Votiſque. Debitiſſimis. Venerabimur.*

*Excellentiſſimorum & Generoſiſſimorum  
NOMINUM VESTRORUM*

*Cultores devotiſſimi*

**FRID. CHR. ET CAR. WALDENSTRÖM.**

V I R O  
ADMODUM REVERENDO ATQVE PRÆCLARISSIMO  
D O M I N O  
MAG. JOANNI WALDENSTRÖM  
ECCLESiarUM ÖHRENSIUM PASTORI VIGILANTISSIMO,  
ADJACENTISQVE DISTRICTUS PRÆPOSITO ADCURATISSIMO,  
PATRI INDULGENTISSIMO.

Q uam justum mihi desiderium sit obstrictissimam erga Te, Parens, publice testificandi pietatem, oro quæsoque, Tuis potius plurimis in me meritis, quam mea, quæ illa demuncun- que fuerit cum sit exigua, deprædicandi facultate dimetiariis. Quoad enim longissime pueritiæ memoriam mecum recollere possum, singula retractans, tanta video totque in me comple- ctendo ornandoque extitisse paternæ indulgentiæ Tuæ docu- menta, ut plura, ut majora, a parente in hanc meam juventutem proficisci non potuisse omnes fateantur necesse sit. Patiari igitur, Genitor, quod specimen hocce Academicum, defendendi saltem tirocinio meum, Tibi statui instar Mercurialis demon- stret debitorem solvendi quidem cupidum, at præter gratum animum, obsequium perpetuum, precesque devotas, quæ sola requiris, nihil repræsentare valentem. Contingat Tibi ad feros usque annos omni genere prosperitatis, de Ecclesia optime mereri, atque, ut facis, commodis speique meæ quam diutissime consulere posse. Voveo

INDULGENTISSIMI PARENTIS.

FILIUS OBSEQUENTISSIMUS  
CAROLUS WALDENSTRÖM.

# NOBILISSIMO FRATRUM PARI.

**E**xirus acta probat: Stupefacta plaude palæstra,  
Par Fratrum, Victor, sistitur ecce Pugil,  
Egregios inter, quos unquam Claria late  
Gryphia Trojani potulit instar equi.  
Scilicet hic labor est *Factorum* pandere *Finem*  
*Postremum* ratio, quem bene culta dedit:  
Cui dirigit cûrsûm Pietas Cynofuraque vitæ,  
Non ruet in Syrtes disperitura ratis.  
Tuque adeo, Major, tantis qui furgere coeptis  
Et geminum gaudes sic meruisse decus,  
Talia dum sentis, monstras dum pollice certo,  
Flos Juvenum, tendat quo tua Musa patet.  
Gratulor ex animo Soboles Queis contigit illa:  
Jamque lares patrii gaudia quanta ferent!  
Pergite Jo! FRATRES, VOS æqua interprete Phoëbo  
Svecia nam reduces dite favore beat!!!

deprop. adplausit

C. J. KIELLMAN P. P.

NOBILISSIMO PATRIBUS

PART.

Text block containing several lines of faint, mirrored text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is largely illegible due to fading and bleed-through.

C. J. ELLMAN & Co.  
London, England